

Johann Weinmann Johann Ludwig Wider

Disputatio Theologica De Aphorismo Johannis Cap. I. Vers. 14. Verbum Caro Factum Est

Altdorphi[i]: Scherffius, 1638

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn786503556>

Druck Freier  Zugang




DISPUTATIONES THEOLOGICAE MISCELLANEA.
Tomo hoc XCVII. comprehensas.

Scrutinium Scripturae Sacrae. Pr. D. Puff.	1.	De Triplici Officio Christi. Praef.	25.
Conformitas Iudaeo-Papistica in loco del Scripturae Sacrae. Pr. D. N. Gejero.	2.	De Problemate Theologico, ad Auth.	26.
de Analogia Fidei. Pr. D. Abt. Calovio.	3.	culus Filii de Ascensione Christi	
de Interpretatione Scripturae S. P. Mylio	4.	in Coelos quicquam de roget vere	
de SS. Scripturae Auctoritate, Perfectione ac Perspicuitate. Pr. N. El. Veselio.	5.	Corporis et Sanguinis Eiusd. Prae	
de Hermeneutica vera et falsa. ad 2. Pet. 1. 10. 21. Praef. D. D. Hebelio.	6.	Sentia in S. Coenae. Praef. D.	
de Cognitione Dei Definitiva, an adaeq. Pr. N. Joh. Wemmanno.	7.	Secelestino Myriente.	
de Sanctissimo Trinitatis Mysterio. Pr. Sebast. Niemann.	8.	De Poenitentia Peccatorum Nini	27.
de Personarum divinarum distinctione, an et quanam illa sit. Praef. Eodem	9.	tica, ad Ion. c. 3. comm. 2. 8. Praef.	
de Actione Dei prima in tempore, q. dicitur Creatio. Pr. N. Joh. Wemmanno.	10.	Joh. Fridenico Mayero. Licent.	
de Permissione divina circa peccata. Pr. Christiano Chemnitio.	11.	de Sigillo Confessionis. Pr. D. Johan.	28.
de Appantionibus Daemonum. Pr. D. Joh. Meisnero.	12.	Indy. 2. uellett.	
de Natura et Quidditate Luminis Glo ria. Pr. D. Joh. Ernesto Gerharo.	13.	De Nuno Confessionario. Non Pruidi	29.
de Peccato Veniali. Praef. Eodem.	14.	Pruning. Comment. Auth. D. P. Miller	
de Peccato in Spiritum Sanctum. Pr. N. Joh. Wemmanno.	15.	De Satisfactionibus propriis pro pe	30.
de Phrasi Scripturae, qua Deus dicitur Indurata, Excoecare. Pr. D. S. Schmidt.	16.	nis temporalibus. Nemi sit culpa	
de Unione liberi Arbitrii in Conversione. Pr. D. Sebast. Niemann.	17.	in hac Vita. Pr. D. Joh. Dehmio.	
de Actione Dei prima ab aeterno, qua dicitur Praedestinatio. Pr. N. Wemmanno.	18.	De Regula Juris Naturae. Pr. D. Pezel.	31.
de Phrasi Scripturae, Delectionis à libro Vita. Praef. D. Sebast. Schmidt.	19.	De Confecto Pontificiorum Septe	32.
de Poemina Circumstante Virum tan quam novo, quod creavit Dominus. ex Verem. 31. 10. 22. Pr. Habichhorstio. N.	20.	nario Sacramentorum Numero.	
de Aphorismo Ioh. 14. Verum Caro factum est. Pr. N. Joh. Wemmanno.	21.	Pr. D. Joh. Ernesto Gerharo.	
de Aphorismo Ioh. 1. Theolog. De Iny caratione Filii Dei Domini X. I. C. Pr. D. E. Coden.	22.	De Baptismo. Pr. N. Lev. Pouchenio	33.
de Aphorismo Paulino ex 1. Tim. 3. 16. Deus manifestatus est in carne. Pr. Parabellismo Calvinae Nestorianus. Praef. Johanne Adalmo Scheyero.	23.	Quart. Cas. Cum Abstemyis quid	34.
	24.	agendum in S. Synaxi Vite. Eod.	
	25.	Analysi quest. 1. Cor. 10. Praef.	35.
	26.	D. Joh. Dehmio.	
	27.	De Fide in Mesiam Patriarch ali.	36.
	28.	ex Genes. 29. 9. 18. Pr. D. S. Schmidt.	
	29.	De Donis Openbus. Pr. N. Wemmanno	37.
	30.	De Donis Openbus. Pr. D. S. Niemann	38.
	31.	De Donorum Operum Necessitate.	39.
	32.	Pr. D. Joh. Ernesto Gerharo.	
	33.	Jaeq. Clavis Ligantis. Pr. D. Jamhauer	40.
	34.	Tuv nova fuy 7e novas ixio	41.
	35.	Excep. vrbis. Pr. G. Groenio.	
	36.	Purgatorium exustum q. Papietas.	42.
	37.	Pr. D. Joh. Adalmo Scheyero.	
	38.	De Reliquis Christi et Sanctorum	43.
	39.	Carum cultu. Pr. D. S. Niemann.	
	40.	De Resurrectione Mortuorum.	44.
	41.	Pr. N. Lev. Pouchenio.	
	42.	De Resurrectione Impiorum. Pr.	45.
	43.	Johanne Meisnero.	
	44.	Contra Empedoclas Promissionis	46.
	45.	Adventus Christi Ultimi. Pr. D. Wemmanno	
	46.	De Gemitu Creaturae intelligentis.	47.
	47.	Pr. D. S. Christophoro Ottone.	
	48.	De Appellatione ad supremum Ju	48.
	49.	dicem Iesum Christum. Pr. E. Gerharo	
	50.	Fasciculus Viventium. Praef.	49.
		D. Sebastiano Schmedio.	
		Hoffman Augustano.	

Collecta à M. Antonio Ulrico
Comp. Tubingae. Anno. 1680
d. 14. Junij.

632
F2
28



DISPUTATIO THEOLOGICA
DE
APHORISMO JOHANNIS
CAP. I. VERS. 14.

VERBUM CARO
FACTUM EST.

Quam
Moderatore & Auspice CHRISTO
PRÆSIDE

Viro plurimum Reverendo & Clarissimo
DN. M. JOHANNES Wetmann/ SS.
Theologiæ Profefs. Publ. & Ecclef. Minist.
Præceptore & Fautore suo nunquam
non suspiciendo,

Publica disquisitioni subjicit
JOHANN-LUDOVICUS WIDER/ Austriacus,
SS. Theologiæ Studiosus.

In Auditorio Theologico
Ad diem Januari

ALTDORPHI,
Typis BALTHASARIS SCHERFFI,
Universitatis Typographi.

ANNO CHRISTI,

M. DC. XXXVIII.

31
36
37
26
28
4
4
4

Illustribus ac Generosissimis DNN.

LIBERIS BARONIBVS

DN. SIGISMUNDO MAURITIO à Wels / L. B. Domino
in Eberstein / &c.

DN. ALEXANDRO ULRICO, L. B. à Freyberg / &c.

P. JUSTINIANO ERNESTO à Wels / L. B.

DN. JOHANNI FELICI à Wels / L. B. Fratrib. Germanis &c.

Dominiis meis Clementissimis,

Præstrenuis item ac Nobilissimis Juvenibus

DN. FERDINANDO HELFFRICO Schüttern /

DN. JOHANNI RUDOLPHO Schüttern / à Klingenberg /
Fratribus Germanis omnem felicitatem precor.

Veniam dabit is, *Illustres ac Generosissimi DNN. Barones,*
ut & Præstrenui ac Nobilissimi Juvenes; mea impudenti nimis au-
dacia, quod & ego minimus opinor levidensibus hisce pagellis sub Illu-
strum ac Nobilissimum VESTRUM conspectum prodire nullatenus erub-
escam; Veniam, inquam, dabit is, idque eo facilius, si cause hujus mei
facti VOBIS fuerint comperta. Quarum maxima est insignis VESTER
favor, quo studia, eorumque cultores semper prosequimini, quem si non
ipsum, umbram saltem ejus qui in me descecterem, hisce studui: tum ut
subjectum meum animum, quem nunquam non VOBIS me debere lu-
bens fateor, publicè declararem; tum etiam, ut, si vestrarum Illustrum
Generositarum atque Præstr. Nobilitatum honorificè meminero, com-
munis nobis Patrie simul gratiam recordatus, ejusdem nunquam me
oblivisci vel unquam oblitum, hoc ipso ostenderem. Accipite igitur hoc
quicquid est studiorum meorū, quod humilimè VOBIS consacro, pro eo quo
polleris, hoc est Illustri, Nobilissimo, ac benevolo VESTRO animo; Cujus ra-
diis ut me impostertum quoque collustrare clementer velut is, est quod sub-
mixè peto.

Valete felicissimè.

VV. GG. ut & Præst. Nobb.

humilimè colens

Johann-Ludovicus Widen/
Austriacus, Auth. & Resp.

CUM DEO TRINUNO

Præloquium.



Legantissimè docent Theologi:

Duo summa Christianismi nostri esse mysteria:
 Alterum de DEO trinuno; alterum de Christo
 binuno. DEUS sic est essentiâ unus, ut tamen
 personis sit trinus. Fides enim Catholica hac est, ut unum
 DEUM in Trinitate & Trinitatem in unitate veneremus,
 neq; confundentes personas, neq; substantiam separantes. Chri-
 stus verò sic est personâ unus, ut tamen naturâ sit bi-
 nus. Fides enim recta hac est, ut credamus & confiteamur,
 quòd Dominus noster JESUS CHRISTUS, DEI FILIUS
 DEUS & homo est. DEUS ex substantiâ Patris ante Secula
 genitus, & homo ex substantiâ matris in seculo natus. U-
 trumque mysterium est sublimissimum, & hominis
 captum transcendit quam longissimè. Exinde est, ut
 mysterium Incarnationis *ὑπὲρ ὕλης, ὑπὲρ λόγου, ὑπὲρ
 κατὰ ληψάν* esse quidam ex Patribus disertis verbis as-
 serat. Quin & Spiritus S. in Sacris literis illud nobis
 proponens, non tantum *mysterij*, sed adjecto insuper
 epitheto *magni*, imò neque hoc contentus *ἑμολογεμένως*
magni mysterij encomio exornat & extollit, idque, quòd
 omnium piorum confessione atque calculo insigne
 sit mysterium, à cunctis seculis absconditum in Deo,
 in verbo autem, Evangelij mortalibus patefactum.
 Nos ut, juxta Athanasij Symbolum, de Christo incarnato
 ita loquamur & sentiamus, ne vel naturas confunda-
 mus, vel personam separemus, ad eum Canonem, ad
 quem

A 2

quem

quem fides nostra nisi velit errare, incedere omnino cogitur, *Gal. 6. v. 16.* absque ambagibus incedemus, & (cum non nesciamus, arcana summi illius, & ipsis procul dubio angelis admirandi mysterij, à nemine in hujus vitæ caligine ac mentis nostræ infirmitate plenè ac planè perspici, nec omnia quæ de eo quæri vel disputari possunt, perfectè intelligi, & ad oculum demonstrari vel debere vel posse) omnes nostras de meditationes ad lucernam DEI in verbo nobis prælucentem referemus, ac simplicitate mediocris cognitionis, quæ ipsis scripturæ Sacræ Fundamentis innitur, gratâ mente erimus contenti. Quod ut eò felicius præstare, ab omnibus errorum diverticulis nos sejungere, & in simplici seu regiâ viâ veræ sententiæ divinitus patefactæ nos continere & coërcere valeamus, de dicto isto *Johannis Evangelista*, quod historiae suæ *cap. 1. vers. 14.* hisce nobis verbis proponit: **VERBUM CARO FACTUM EST**, *πῶς ἐν θεῷ ἐγένετο* proponemus; reliqua omnia, quæ de hoc mysterio nec satis intelligere, nec prorsus explicare possumus, ad alterâ illam cœlestem scholam, ubi in vitâ æternâ Christum *θεῶν ὄρωπον* facie, ad faciem videbimus, sicuti est, *1. Cor. 13. v. 12. 1. Joh. 3, v. 2.* lubentes differentes & rejicientes.

*CHRISTE binune τῷ ο nos dirige Flamine Sancto,
Ut captum in laudem vergat id omne tuam.*

THESIS

1. Ut autem explicatio ex ipso fundamento eò planior & expeditior sit, principiò vocabula sive termini effati Iohannitici nobis sunt explicandi.
2. Quantum igitur ad primum, vocem nimirum τὸ λόγος attinet, notum est, multiplicem eam habere significationem.
3. Om-

3. Omnem ambiguitatem paucis ut expediamus dicimus, τὸν λόγον vel significare *substantiam*, atque sumi pro ipsâ rationis & intellectus essentiâ utpote cum homo dicitur animal λογικόν, ἔλλογον ζῶον: vel *accidens* mentis, nimirum operationem intellectus. Qui λόγος subdivisus itidem duplex: vel enim est ἐνδιάθετος, cum mens intrâ se ipsam format λόγον apprehensione simplicium, eorumque compositione & Διανοία, ratiocinatione seu discursu: vel *προφορικὸς sermo editus* seu *vocalis*, cum mens adminiculo vocis per verba (quæ sunt character mentis) emittit sermonem.

4. Verum data hæc differentia solummodò de λόγῳ creato, eoque vel humano vel angelico, tota est accipienda.

5. Longè alium intelligit noster *Evangelista*, talem nimirum, qui sit ipse Deus, v. 1. unigenitus à Patre, v. 14. per quem omnia facta, v. 3. qui credentes adoptet in filios, v. 12. 13. qui ante Johannem extiterit, v. 15. & omnem nobis gratiam communicaverit v. 16.

6. Quæ προσκείμενα seu attributa cum λόγῳ & conceptui evanescenti nullâ ratione assignari queant, hinc facile cuivis constabit, ἐν πρῶτῳ ἐξείρητον, sublime & peculiare quid hîc loci à *Johanne* designari.

7. Quod ipsû quoque mysteriû Patres *Cyrillus Chrysostomus* & *Theophylactus* ex addito articulo ὁ quam diligentissimè observârunt, quorum hic est Canon: *Quando divina scriptura nominibus secundum Græcæ lingue usum articulos praponit, tunc ἓν unum, ἔσθ' quod solum atque verè tale quid dicitur, significat; articulo autem non adjecto generalius cuncta designat.*

8. Itaque vox λόγος impræsentiarum non significat

31
36
37
21
28
4
4
4

22
ficat vel decretum Patris, uti volebat *Servetus*. vel λόγον ἀ-
quem inferiorem Patre & con ditum, quæ impudens & im-
pia assertio erat *Eunomij*: vel verbum illud specialiter fa-
ctum *Mariae* in annunciatione, sicuti etiam, teste *Athana-
sio*, quidam fanatici falso stacuebant: sed denotat ni-
hil aliud, quàm ipsam secundam *Trinitatis personam*, λόγον
ἑωσθετικόν, nimirum unigenitum Filium, Patri ὁμόσιον,
per quem omnia creata sunt in cœlo & in terrâ, qui
locutus est olim in Prophetis per coæternum sibi Spi-
ritum Sanctum, & æterni Patris Consilium homini-
bus, annuciavit, in quo solo salus hominibus constat.

9. Verbo: intelligit *Johannes* λόγον increatum,
qui ut nunquam cœpit, ita nunquam desinet, λόγος
supra & extra omnem creaturarum rationem.

10. Retinet *Evangelista* appellationem cum tem-
poris Judæis maximè usitatam, atque ipso statim no-
mine primo divinitatem Messiae vult adstruere contra
Cerinthum & alios hæreticos, contra quos *Evangelium*
suum scripsisse dicitur.

11. Cum enim *Chaldaica paraphrasis* Veteris Testa-
menti sapissimè pro eo, quod in contextu scribitur
יהוה (quod nomen solius Dei veri proprium est & es-
sentiale) scriptum habeat יהוה, quæ vox propriè λόγος
sive verbum significat, hinc non dubitamus, *Johannem*
eam vocem, veluti è medio sumsisse, quo veteres illi
Messiam vocare solebant, ut hoc ipso ostenderet per-
sonam istam, de quâ sibi sit sermo, esse ipsum *Jehovah*,
qui ante omnem creaturam, ideòque ab æterno ex-
sisterit, neque tunc primùm cœperit, cum in plenu-
dine temporis de Spiritu Sancto conceptus, & ex Ma-
riâ virgine natus est, qui non sit nudos tantùm homo,
acc ratione excellentiæ & divinorum donorum, sed
ratione

ratione divina naturae personaliter humana unica veritas
dicatur & celebretur Deus; cujus contrariam sententiam
fovebant *Cerintus, Ebion & Photinus*. Ex quibus cineribus
quoque quidam *Anabaptista & Antitrinitarii* nostri tem-
poris suae in Christum blasphemiae flammam collegerunt
& excitaverunt.

12. Quibus etiam positus & comprobatis, conve-
nientior erit interpretatio eorum, qui τὸν λόγον no-
mine *verbi* exprimunt, quam qui *rationis*, vel *sermonis*:
tum quia vox *Jehovah* non est aliquid in mente, & quia
vox Chaldaea id potius denotat; tum etiam quia in
hac significatione jam in Ecclesia valde recepta tri-
taque est haec interpretatio, utpote quae indicat, esse
mysticam quandam vocem, minusque errandi occa-
sionem praebet.

13. Malumus ergo has & sequentes ob causas eti-
am non retinere voculam *verbi*, non *rationis* vel *sermonis*.

14. Non *rationis*: quia haec vox nunquam, desi-
gnat processionem a Deo, quam tamen vim habet no-
men *verbi*. Nam verbum loquentis verbum est, quod
Deo magis proprium est, cujus verbum ab ipso manat.
Quid, quod ratio reperitur etiam in eo, qui actu non
intelligit: at verbum, non fit nisi in intelligentibus
actu, quod Deo maxime convenit.

15. Non *sermonis*: quia hic quandam significat
compositionem, verbum simplicitatem. Hac autem
locutioni DEI magis competit, quae unica est & sim-
plicissima, nec pluribus constat verbis. Sed haec salvo
aliorum iudicio.

16. Ubi interim & hoc monendum: sive τὸν λόγον
per *verbum*, sive *sermonem* reddamus, tanti non interes-
se, modo non statuamus, vocibus hisce propriae ἡ λέξε
in creati essentiam exprimi posse.

17. Tota

31
36
37
21
28
40
4
4

17. Tota namque locutio ista, quâ Filius appellatur λόγος, est metaphorica, hocque nomine indigitatur, quod quandam cum λόγῳ creato habeat similitudinem.

18. Idque vel respectu DEI cum λόγῳ ἐκδηλεῖται. Nam 1. Ut internum mentis verbum est representatio rei, quam intelligimus; Sic & Filius ὁμοιωῦς mentem Patris representat; siquidem, est χαρακτηρὴ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ, & εἰκὼν & ἀπύκρωσμα substantiæ paternæ, Heb. 1. v. 3. 2. Ut conceptus in mente gignitur, & in mente unde manat, permanet; ita & Filius à Patre est genitus, & in Patre nunquam non permanet.

19. Deinde πρὸς ἡμᾶς respectu nostri cum λόγῳ προσωποποιεῖται. Sicut enim verbum mentis per vocem ostenditur; ita verbum divinum per humanitatem, hominibus est demonstratum. 2. sicut verbum enunciatur ideò, ut à nobis audiatur; ita Deus misit Filium, ut diligenter illi attendamus.

20. In quâ tamen comparatione illud semper nobis sit in conspectu, tantam esse differentiam inter hunc λόγον & nostrum, quanta inter creatorem & creaturam; inter substantiam semper existentem, & ἐνέργειαν humani animi subito evanescentem.

21. Hoc igitur æternum verbum, Patri ὁμοῖον, de quo jam pluribus diximus, FACTUM EST CARO. Cum autem, & carnis vocabulum sit ex numero τῶν πλεοναχῶς λεγομένων paucis præcipua ejus significata percurreremus.

22. Itaque vel in genere dicitur de omni animanti, ut Psalm. 136. v. 25: qui dat escã omni carni &c. vel de parte illâ, qua ab animâ distinguitur, eâque vel integrâ, quæ aliàs corpus vocatur, Rom. 13. v. 14. Job. 19. v. 26. vel ἰδίως & propriè

propriè de parte illa, quæ ab ossibus distinguitur, & est pars
molis & rubicunda corporis, ex sanguine mediocriter resiccato
genita, & fibras musculorum complectens, uti describunt
Anatomici; ita accipitur Gen. 2. v. 23. c. 9. v. 4. Eph. 5. v.
31. Luc. 24. v. 39. vel deniq; de membro tantum, ut Gen. 17.
v. 13. Rom. 2. v. 28. &c.

23. Vel de Homine usurpatur Theologicè considera-
to, eoq; vel ante, vel post suam regenerationem.

24. Ante: quatenus constitutus hæret in sorte
peccati & corruptionis, seu qualis a suis parentibus na-
scitur, luce & gratiâ peculiari Spiritus Sancti nondum
imbutus, Joh. 3. v. 6. Gal. 3. v. 3. Phil. 3. v. 4. Rom. 8. v. 3.

25. Post usurpatur etiam hæc vox de homine re-
nato, respectu vetustatis & pravitatis adhuc in carne
reliquæ seu naturæ corruptæ, quæ ab Adamo in omnes
posterios profeminata etiam molestias regentis conci-
tat, Rom. 7. v. 18. & 8. v. 12. Gal. 5. v. 17. 19. 24. Utroq;
hoc modo vocabulum *Carnis* significat *hominem peccato
pollutum & coram DEO reum.*

26. Verùm ita *verbum* non est *factum caro*. Venit
quidem in similitudine carnis peccati, sed non in car-
ne peccatrice, Rom. 8. v. 3. Decuit enim Pontificem no-
strum esse Sanctum, innocentem, impollutum, à pecca-
toribus segregatum, Heb. 7. v. 25. ut posset peccatorum no-
strorum purgationem facere per semetipsum, Heb. 1. v. 3.

27. Deinceps vocabulum *carnis* phrasi Spiritus S.
propriâ denotat integrâ humanâ naturâ, hominẽ per-
fectum, constantẽ animâ rationali & corpore humano
organico, omnibusque proprijs corporis & animæ, in
se & simpliciter consideratum, vel paucis: denotat *ani-
mal rationale*, ut Gen. 6. v. 12, 13. Sap. 7. v. 1. Es. 40. v. 6.
quod reperitur 1. Pet. 1. v. 24. Jac. 1. v. 10. ac similes lo-

B

cutiones

rationes penè infinite sunt obvix, utpote *Matth. 24. v. 22. Luc. 3. v. 6. Act. 2. v. 17. Rom. 3. v. 20. &c.*

28. Quo posteriori sensu *verbum factum est caro*, vel uti Patres id reddiderunt, *DEUS factus est homo*.

29. Neque enim Filius DEI assumpsit solum *corpus humanum*, sive *carnem πάντη ἄψυχον*, simpliciter *inanimatam*, id quod docebat *Arius*: neque *corpus sive carnem ἐμψυχωμένην*, *animatam* quidem *animâ ὁρεστικῇ vegetativâ*, non autem *λογικῇ rationali*, cujus tamen loco fuerit *divinitas*, quæ hæresis erat *Apollinaris*: sed assumpsit integram & totam humanam naturam, constantem animâ & corpore, quod ipsum firma & perspicua scripturæ testimonia testantur. De corpore enim tam clara sunt testimonia, ut nemo id Christo ex dictis hæreticis unquam vel denegaverit, vel denegare possit. Alteram autem partem, *animam* nimirum *rationalem*, sapissimè Christo in scripturâ attribui, testantur sequentia, *Matth. 20. v. 28. venit filius hominis, dare animam suam. Ioh. 10. v. 15. Ego pono animam pro ovibus, &c.*

30. Quæ dicta de *animâ vegetativâ* tantum intelligi non posse, manifestiora hæc tatis declarant: *Ioh. 10. v. 17. Ego pono animam meam, ut iterum sumam eam. Luc. 23. v. 46. Pater in manus tuas commendo Spiritum meum.*

31. Adde, quòd animæ Christi sacræ licet talia attribuant, quæ de solâ potentiâ vegetativâ nullo modo queant intelligi, qualia sunt *tristitia, Matth. 26 v. 38. Lætitia, Luc. 10. v. 21. desiderium, Luc. 22. v. 15, &c.*

32. Et quæ *divinitas* loco *mentis & voluntatis* fuerit, juxta *Apollinarem*? Cùm Jesus reverà profecerit sapientiâ apud DEUM & homines, *Luc. 2. v. 40. Num verò divinitas ullo tempore proficit? ἄλογον.*

33. Rectè igitur opposita fuit hæreticis istis hæ ortho-

orthodoxæ Ecclesiæ confessio; ὅτι ἀνάδιθρον, ὅτι ἀνέστην
σάρκα καὶ σῶμα εἶχεν ὁ σωτήρ, ut tradit Epiphanius. Intelle-
tus enim & voluntas non nisi λογικῆς ψυχῆς, anima ratio-
nalis est. Et, si voluntas in Christo esset ipsa DEITAS,
quo modo ipse Christus eam à voluntate Patris distin-
gueret, siquidem secundum essentiam una & eadem
est voluntas Patris, Filij, & Spiritus Sancti? quod tamen
facit Joh. 5. v. 30. & Matth. 26. v. 39. Non sicut ego vo-
lo, Pater, sed sicut tu

34. Proinde verissimum manet illud Damasceni:
Totus totum assumpsit me, ut toti vitam largiretur. Et Divi
Augustini: *Qui negat Christum verum hominem, non est pro
illo mortuus Christus, quia secundum hominem est mortuus.*

35. Gravissimus insuper circa hanc vocem est er-
ror τῶν Φαντασιῶν ἢ δοκίτων, putativorum, qui delirā-
runt, Christum assumpsisse non verum & solidum cor-
pus, sed Φάντασμα sive spectrum, quod speciem quidem
haberet humani corporis, & videretur habere carnem
& ossa, cū reverà non haberet. E quorum numero
fuerunt Mar. ion & Manicheus, &c.

36. Qui tamen omnes vel unico illo Aphorismo
Apostolico possunt retundi, Heb. 2. v. 14. *Sicut pueri
communicant carni & sanguini, eodem modo & filius DEI
eorum particeps est factus.* Unde inferimus: Pueri non
putativè, sed verè communicant carni & sanguini. E. &
filius DEI.

37. Imò hoc ipsum delirium ipse noster Salvator
aliquoties disertè refutat. Ita Luc. 24 v. 39. Cū Apo-
stoli putarent, sibi spiritum in humanà specie, sicuti
angeli sunt, apparuisse, eò quòd januis clausis de repen-
tè staret in medio, Christus firmis argumentis phanta-
siam illam refutat: *Palpate, inquit, & videte, quoniam*

B 2

Spiritus

22
Spiritus carnem & ossa non habet, sicut videtis me habere. Ita *Matt. 14. v. 29. Marc. 6. v. 48. Ioh. 6 v 19.* cum viderent eum super aquam euntem.

38. Neque sine insigni blasphemâ ei, qui est ipsissima veritas, tribui possunt phantasmata, Spectra, & putativæ ellusiones. Si enim Christus veram carnem, & humanam naturam non habuit, sed speciem tantum ac phantasma, tunc nec vera passio, nec mors fuit, nec verè nos redemit, sed omnia in phantasmate gesta, omnia fictitia, id quod extremè blasphemum.

39. Nec minor est hæresis & impietas τῶν ἐπιρροίων, qui opinantur, Christum non habuisse carnem nobis consubstantialem, quam susceperit è substantiâ & sanguine Mariæ virginis; sed aliam, aut ex essentiâ DEI Patris genitam, aut formatam ex materiâ vel coelesti, vel fidereâ, vel elementari, quam è coelo in terras detulerit, quæ sententia est *Anabaptistarum, Weigelianorû & Schwenckfeldianorum.* In quæ eadem castra abire quoque videntur *Sociniani*, qui fervidè contendunt, non è solo sanguine & semine Mariæ formatam esse sanctissimam Christi carnem, sed aut immixtam esse in uterum virgineum, aut inibi creatam novam materiam, virtute Spiritus Sancti, quæ juncta semini virgineo præbuerit materiam massamque, è quâ concepta formataque est sanctissima Christi caro.

40. Quorum omnium, erroribus opponimus illud angeli, ad Mariam dicentis: *Quod ex te nascetur, sanctum vocabitur, Luc. 1. v. 35.* ubi angelus non dicit; quod *per te* nascetur: quâ ratione olim hunc textum, falsâsse feruntur *Marcion & Valentinus*, quò ostenderent, Christum tantum hospitem fuisse in utero *Mariæ*, carne suâ aliunde assumptâ: sed quod *ex te* nascetur, id-
que,

que, quia Christus est ex Patribus secundum carnem,
Rom. 9. v. 5. Fructus, non hospes ventris Mariæ *Luc. 1.*
v. 42.

41. Ubi tamen notandum, quòd quidam Codices Græci hoc loco non legant verba *ἐκ σα*: Sed contra *Syrum* interpretem, & nonnullos veteris editionis codices. Imò legenda ea omninò esse ostendit expressis verbis *Athanasius in Epistolâ quâdam ad Epietum, Corinthiorum Episcopum*, citante ejus verba *Bezâ in notis Maj. ad Nov. Test. h. l.* Idem quoque evincit scriptura ipsa alijs in locis *Rom. 1. v. 3. Gal. 4 v. 4.*

42. Ut nihil hîc dicam de putidâ illâ & nimis absurda τῶν ἀπειθῶν καὶ ἀφαιρεδοτήτων sententiâ, quâ statuerunt, humanam in Christo naturam, propter unionem personalem cum λόγῳ nullis passionibus fuisse obnoxiam. Quam absurditatem ipsa scriptura satis superque refutat, in primis *Esa 53. 4*: Verè langores nostros ipse tulit *Et Luc. 22. v. 43, 44.* Et, quid est, quod Christus in cruce exclamavit: *Deus meus, Deus meus quare me dereliquisti?* *Matth. 27. v. 40.* Abeant igitur omnes hî cum ἐπιδόξου suis figmentis.

43. Veriorem magis, imò verissimam nobis aperit doctrinam scriptura sacra, ex quâ discimus: Filium DEI assumpsisse humanam naturam veram, integram, & totam, consubstantialem nobis, non tamen vitiosam seu peccato pollutam, sed incorruptam, puram & sanctam, habentem omnes condiciones & vires naturæ humanæ, proprias & ordinatas, in quâ etiâ infirmitates & defectus hominis volens assumpsit, ut fieret victima pro nobis.

44. Dico, *infirmitates & defectus hominis, pœna*, sed non culpa; nec tamen omnes defectus *pœna*, sed eos

B 3

omnes,

omnes, quos homini eum assumere expediebat, & suae dignitati non derogabat, quam distinctionem adhibet Lombardus l. 3. dist. 15, lit. A.

45. Quo ipso maximè commendatur summa Filij DEI *Φιλαδελφία* & admiranda miserationis inclinatio, quâ se Filius DEI ex incomprehensibili suâ majestate non solùm quoad corpus nostrum sed etiam quoad vilitatem corporis nostri inclinavit, & seipsum in carne formâ servi assumptâ exinanivit.

46. Restat ultimum dicti nostri membrum, verbum scilicet *ἐγένετο*, factum est, quo quasi arctissimo vinculo hæc duo *λόγος* & *καὶ σὰρξ* sunt colligata.

47. Quod cùm duplicem hunc habeat sensum; ut jam significet *erat* vel *fuit*, quo modo hæc vox usurpatur hoc ipso Capite *Job. 1. v. 6.* adde *Luc. 1. v. 5. Rom. 11, 34;* jam *stibat* vel *factum est*: hinc ansam arripuerunt Sociniani, pertinaciter negandi, id ad confirmandum *Incarnationis mysterium* ullo modo accommodari posse, sed dicendum potius: Verbum *erat* vel *fuit* caro: quæ interpretatio rectiùs congruat cum antecedentibus *Evangelistæ* verbis, ut pote in quibus Christus jam tùm verus homo dicatur natus, adeoque verè extiterit, quem in modum hunc textum corrumpit *Ostroldus in instit. Germ. c. 18. p. 99.*

48. Ad quæ diabolica *Socinianorum* *πρετίσματα* sciendum: quòd veluti non negamus, verbum *ἐγένετο* per *erat* vel *fuit* explicari posse; ita ex adverso contendimus, hanc interpretationem in hoc nostro textu nullâ veritate stare posse, sed per *factum est* verbum hoc omninò reddi debere. Quam nostram sententiam confirmat *συνέχεια* textûs. Si enim *ὁ λόγος* fuit in principio (intellige *creationis*, siquidem omnia per ipsum facta,

facta, v. 3.) id quod noster *Evangelista* asserit v. 1: sequitur, eum tūc nondum fuisse hominem. Missus est enim demum in plenitudine temporis, *Gal. 4. v. 4.*

49. Et si scopum *Iohannis* probè attendimus, ille talis est, ut veluti in *vers. 1. 2.* &c. locutus erat de λόγῳ ἀσάρκα, ita in posterioribus velit ostendere, hunc ipsum λόγον non mansisse ἀσάρκον, expertem carnis, sed in plenitudine temporis eandem assumsisse.

50. Neque est, ut urgeat *Ostorodius*, in antecedentibus eum ipsum λόγον, qui in sequentibus demum dicitur caro factus, jam tūc carnem dictum esse. Fit enim hoc per ὑπερολογίαν, quæ in Sacro codice non tam nova est & insolens. Confer *Cap. 1. Gen. v. 28. cum 2. v. 19. seq. c. 10. v. 5. cum 11. v. 6. seq. vers. 19. Capitis 3. Luca cum vers. 21.* Manet itaque adhuc, verbum ἐγένετο per ᾧ factum est omninò explicandum esse.

51. Ut autem unum singulare fiat alterum, duobus tantū accidit modis. Vel κατὰ μεταβολήν, ita ut unum in alterum mutetur & convertatur, quemadmodum virga *Mosis* versa est in colubrum, & aqua in sanguinem, *Exod. 4. v. 3. & 7. v. 20.* & aqua facta est vinum, *Iob. 2. v. 9.* vel κατ' ἀρεταβλησίαν, ita ut nullā intercedente mutatione nihilominus una res conjungatur & uniatur cum alterâ quovis modo: sic columba est Spiritus Sanctus, flamma in ore Apostolorum, sunt Spiritus Sanctus, sed diversis unionis modis.

52. Iam λόγῳ non factus est caro per mutationem, ita ut desierit esse λόγῳ, & in carnem sit mutatus, sicut olim gravissimè errârunt quidam hæretici, quorum meminit *Ambrosius lib. de. Incarn. Dom. c. 6.* Apud DEUM enim non est alteratio, vel umbra saltem alterationis, *Iac. 1. v. 17.* Ego Dominus, & non mutor, *Malach. 3. v. 6.*

53. Neque

53. Neque λόγος ita factus est caro, ut caro à τῷ λόγῳ fuerit absorpta, ita ut post incarnationem non sit Caro, sed merus λόγος, ut *Eutyches* delirabat. Hoc ipsum namque disertè negat *Johannes*.

54. Neque λόγος factus est Caro, eam sibi tantùm adjungendo, ita ut caro sit duntaxat adjunctum τῷ λόγῳ, uti velle videntur quidam ex *Calvinianis*. Inter omnem enim adjunctum & subjectum solummodò intercedit accidentalis quaedam & leviuscula cohaesio, quod de istâ singulariter mirabili, & mirabiliter singulari unionem hypostaticâ τῷ λόγῳ cum carne vel cogitare nefas est. Adde, quòd nullum adjunctum de subjecto suo prædicetur vocabulis substantivis in casu recto, ut non dico: *Homo est vestis*, sed *vestitus*: verùm de λόγῳ prædicetur *homo* vocabulo substantivo in casu recto, ita ut verè dicatur: *DEUS λόγος est homo*.

55. Neque est, ut dicant, carnem tamen τῷ λόγῳ actu jam existenti advenisse, ideòque necessariò ejus adjunctum dicendam. Non enim omnè id, quod alteri actu jam existenti advenit, quâcunque id fiat ratione, statim ejus est accidens; cùm alias ὁ λόγος etiam dicendus esset adjunctum *Carnis*, quod tamen minùs orthodoxè assertitur.

56. Neque etiam verbum factum est caro, eam duntaxat sustentando; Cùm à λόγῳ omnes creaturæ sustententur, quo cum tamen non sunt personaliter unitæ, *Act. 17. v. 28. Heb. 1. v. 3*. Nisi velimus distinguere inter sustentationem *actûs primi*, ubi sustentare idem est, quàm alteri per unionem suam hypostasim communicare: & *actûs Secundi*, ubi sustentare idem est, quod conservare, & rebus creatis suam existentiam, perpetuare. Ubi priorem sustentationem non improbamus, fed

sed posteriorem, quippe quæ activè sumta competit omnibus S. Trinitatis personis, & passivè accepta ad omnes res creatas pertinet.

57. Itaque falsis repudiatis reliquum est, ut dicamus, *verbum factum, esse Carnem* verè & propriè κατ' ἀμεταβλησίαν, non immutando, quod erat, sed suscipiendo, quod non erat, uti loquitur Gregor. l. 9. Epist. 61. vel, *factum esse Carnem*, eam in arctissimam & intimam suam hypostasin assumendo, sibi que uniendo.

58. Ubi obiter notandum; *Unire & Assumere*, sive *Unionem & Assumptionem*, non esse profus ἰσοδυναμῶντα; quia de illis contraria prædicata verificantur, & divina natura dicitur unita, sed non assumta; humana verò assumta, unita utraque.

59. Univit autem sibi Verbum *Carnem*, seu *Filius DEI humanam naturam* unione, non *essentiali*, quâ personæ divinæ S. Trinitatis unum sunt; nec *Sacramentali*, quâ res terrena & cœlestis unum fiunt; nec etiam *accidentali*, quâ sive *respectivam* dicas & κατὰ ἔξιν factâ, vel κατ' ἀξίαν, vel καθ' ὁμοτιμίαν, vel καθ' ὁμωνυμίαν, vel κατ' εὐδοκίαν; seu *absolutam*, secundum quantitatem vel *continuantem*, vel *discretam*. Relinquitur ergò, *unione substantiali*, factâ non ad substantiam secundam, nempe unam, naturam, sed ad primam, nempe unam personam; quâ verbo rectiùs *hypostaticam* seu *personalem* dicimus, non quidem, respectu termini *à quo*, nam non alia, sed una & eadem est persona ἢ λόγος & carnis assumtæ; sed *in quo*, qui est hypostasis ἢ λόγος, & *ad quem*, qui est persona composita.

60. Inde rectè docent *Patres*, Personam Christi dici *compositam* cum respectu duplicis subsistendi rationis; cum divina natura Christi per se, humana autem non

C per

31
36
37
24
28
4
4
4

per se, sed in alio subsistat; tūm *respectu duplicis unitatis*.
Et, carnem assumptam pertinere *personaliter* ad totam
Trinitatem. Nam *personaliter* pertinet ad λόγον, & non
est extra λόγον, qui est Trinitatis persona. E. nec extra
Trinitatem. Unde rectè dico: *Tota divinitas, vel tota divi-
na natura est incarnata.*

61. Etenim tria sunt genera operum S. S. Trini-
tatis; Quædam sunt prorsus *interna*, quæ dicuntur ope-
ra ad intrâ, qualia sunt *gignere, genitū esse, procedere*; hæc
sunt *divisa*, id est, non competunt omnibus tribus per-
sonis simul, sed vel uni vel duabus tantūm: quædam
sunt prorsus *externa*, opera ad extra dicta, omnibus tri-
bus personis, ratione *initij & finis* communia, ut sunt
mundum creare, creatum conservare & gubernare; quæ-
dam sunt quasi *mixta*, quæ partim sunt ad intrâ, ratio-
ne termini, ad extra, ratione initij. Illa *personalia*. E. di-
visa; ista *essentialia*. E. indivisa; hæc & *personalia* sunt &
essentialia, ideoque & *divisa* & *indivisa*.

62. Tale mixtum opus est *incarnatio Filij Dei*, quod
partim internum est, partim externum. Quâ de causâ
nec excludimus operationem, nec defendimus Incar-
nationem totius Trinitatis, sed dicimus; Filium susce-
pisse carnem in personæ proprietatem, & tamen nec
Patrem nec Spiritum Sanctum defuisse sua majestate.

63. Proinde Incarnatio *inchoativè* est omnium,
trium; *terminativè* autem solius secundæ personæ Tri-
nitatis.

64. Vanissimus idcirco est metus eorum, qui i-
psam simul naturam divinam carnē assumpsisse, nolunt
asserere, ne rota Trinitas incarnata existimeretur.

65. Cum enim ἡσασίσις λόγος & ἡσία λόγος non
sint realiter distincta, utique si ex ijs unum assumpsit car-
nem,

nem, assumpsit & alterum; non tamen eodem modo; sed persona *immediatè*, natura *mediatè*.

66. Idque ita, ut propterea duplex hypostatica unio non sit, *mediata & immediata*, sicut nec duplex est in Christo unio personalis, una, quâ corpus & anima; altera, quâ duo hæc cum λόγῳ unita sint, sed una omninò.

67. Assumpsit itaque persona, secunda nimirum Trinitatis, Filius DEI, naturam hominis, neque tamen sine naturâ, quippe quæ à personâ non est realiter diuisa, sed persona cum naturâ; unde & quodammodo ipsa natura naturam hominis assumpsit, mediante videlicet persona, cujus est natura.

68. Causas, cur secunda Trinitatis persona, non alia, carnem assumeret, *Patres* potissimum has reddunt; quia maximè decuerit, ut qui ab æterno esset Filius Dei, in tempore esset Filius hominis: & ut homo, qui restituendus esset ad Dei imaginem, restitueretur per eam personâ, quæ esset imago & character *ἑαυτοῦ περὶ* Dei; & ut in quo initio conditi eramus ad vitam & immortalitatem, per eundem amissam vitam & immortalitatem recuperaremus. Ut denique per eundem adoptionem filiozem DEI consequeremur, qui naturâ esset Filius DEI.

69. Quæ licet in scripturâ non ita expressè sint tradita, tanquam pia tamen. & concinnè dicta recipimus.

70. Causæ autem, cur Filius DEI humanam naturam assumeret, sive *verbum Caro factum fuerit*, imprimis duæ sunt; *Una*, ut eam ab irâ DEI, à condemnatione & morte æternâ redimeret & liberaret: *Altera*, quia peccato corrupta & depravata est, ut eam in seipso primum repararet & restitueret, ac deinde ex ipso, tanquam

31
36
37
2
3
28
4
4

22
quam capite, ad nos, qui membra ejus sumus, sanatio,
sanctificatio seu renovatio derivaretur.

CORONIDIS LOCO SEQUENTIA

παραρρησθαι subdicere libuit.

1. Quia totus λόγος toti carni, & tota caro toti λόγῳ est unita, & nō pars parti; cum λόγῳ partes extra partes nō habeat; hinc fit, ut dua natura in unā Christi personā tam presentissimè semper sibi sint presentes, ut neutra sine alterā alicubi existat, vel etiam existere possit. Sic λόγῳ unitus carni nunquam est extra Carnem; neque caro semel in intimam & λόγῳ ὑπόστασιν assumpta, unquam est & fuit ἰδιοῦσα ἢ ἀνυπόστατος sed semper est & manet ἐνυπόστατος, propriāque suā hypostasi naturali destituta.

2. Mentali tamē cogitatione λόγον ἄ carnē, & hanc ab illo abstrahi posse, absque ullā fidei nostrae jacturā, constanter asseveramus. Etenim duplex est abstractio mentalis; una præcisiva, aliās præcisionis dicta, quā per simplicem mentis apprehensionem de pluribus aliquo modo connexis, unum tantum cognoscimus, reliquis prætermittis; altera positiva, quā non solum unum ab altero abstrahimus, sed diversum quid insuper ponimus. Non hanc, sed illam assumimus. Non enim ita carnem ἄ τῷ λόγῳ abstrahimus, ut eam non saltē sine λόγῳ, sed simul propriā subsistentiā extra λόγον existentem consideremus, id quod manifestū saperet Nestorianismum; sed ita, ut carnē semper in λόγῳ & cum λόγῳ existentem, nihilominus in suā naturā & proprietatibus ingenitis consideremus.

3. Est igitur illa Calvinianorum turba, quæ ex impuri pectoris gurgustio maximas eapropter in Nostrates calumnias exhalat, dum ad Nestoriana διαίρεσεως castra transitum eos facere impudenter vociferatur.

Μέγῳ Θεῷ δόξα.

